

AD ARTIC. CLXVII.

ARGUMENTUM.

Qui noctu & interdiu alterius fructus ex agro auferit ; & alium in locum traducit , nec non magno dominum rei afficit damno, illud factum non aliter,quam alia furtam modo supra exposito, puniri debet. Si vero per diurnum furtum ablatorum esculentorum non magnum damnum datum fuerit domino , tum fur iste puniendus est civiliter secundum qualitatem personae & delicti, nec non consuetudinem loci.

EXEGESIS.

Imperator in concipiendo hoc articulo procul dubio respexit ad l.77. ff. de V.S. ubi accuratè distinguntur fruges & fructus. *Frugum* nomine omnis redditus intelligitur, scilicet non solum, qui è frumentis & leguminibus, verum etiam qui ex vinetis, lapidicinis, ex silvis cæduis capitur. *Fructuum* vero nomine dicuntur illa reliqua , quæ frugum appellatione non veniunt. per l. 45. ff. de Usur. Et licet hic sece exferat controversia de vocabulorum significatione, sicuti eam instituit Salmasius, ut & Albericus Gentilis, quemadmodum id videre licet apud Tabor. p.552. & 553. Racemar. tamen illa disputatio parum utilitatis afferre hic poterit.

(2) Illud interim certum est, quod Imperator hoc articulo cave voluerit, ne alii herbas odoriferas, & quæ sub his continentur, herbæ medicinales auferrent. Vide Carpz. part.2. q.4. 82. n.27. 28. f.274. Pr.Crim. Omnia enim istæc generali vocabulo *frugum* & *fructuum* vouluit complecti.

(3) Ut singula excutiantur ordine, notanda est tum forma, tum coercitio seu pœna istius furti. *Formam* istius furti quod attinet, distinguere oportet, utrum noctu vel interdiu tale furtum committatur ? Et quidem (a) Quod ad *furtum nocturnum* attinet, tum sive ex agris, sive ex hortis, sive ex horreis, sive in urbe, sive extra eam fructus furto abducuntur, illud *verum furum* habetur. Nocturna siquidem